



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Serapione Diacono, quo incitante, inimicus & hostis clero effectus est  
Ioannis. Cap. IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

ctus, vt paucis complectar, hæc fuit. Erat homo, vt fertur, propter incredibile temperantiæ studium moribus aliquanto feuerior, & vt quidam dixit, qui illo ab ineunte adolescentia familiarissimè vsus fuerat, iracundiæ potius, quàm obseruantia indulgens. Ac propter exquisitam vitæ institutionem, rerum futurarum non satis prouidus, sed præ simplici & syncero animo facilis ad decipiendum. Quinetiam libertate loquendi aduersum eos, qui cum eo in colloquium veniebant, extra modum vsus est. Atque vt in docendo multum operæ posuit, vti audientium mores emendaret: sic in colloquiis, illis, qui eius mores ignorabant paulo habebatur insolentior.

*De Serapione Diacono, quo incitante, inimicus & hostis clero effectus est Ioannis.*

CAP. IIII.

**I**oannes his moribus imbutus, & ad Episcopatus honorem sublatus, dum constitueret (sic enim putabat) clericorum suorum viuendi rationem corrigere, maiorem feueritatem, quàm par erat, in eos declarauit. Itaque statim in initio Episcopatus, cum aduersus clerum paulò videretur acerbior, ab illo propterea odio habitus est: ac complures erga eum animo offensiore esse, & tanquam nimis iracundum vitare cœperunt. Serapion illius ecclesiæ diaconus, cur in omnium offensionem incurreret, author profectò fuit. Qui præsentem vniuerso clero, contenta voce sic illum affatus est: nunquam ô Episcopo, istos pro arbitrio regere poteris, nisi vna eademque virga omnes coerceas. Quod eius dictum, grauem odij flammam contra Episcopum incendit. Episcopus non multò post, complures ab ecclesia, alium ob aliam causam, eiecit. Illi vt in tam violento dominantium impetu vsu solet venire, contra eum conspirare, & apud populum falsò criminari cœperunt. Hæc, quæ de illo vulgo dicebantur, nimirum quod cum nemine cibum capere, & ad conuiuium inuitatus nequam accedere volebat, fidem audientibus fecerunt. Vnde calumnia in eum concitata, magis magisque creuit.



SOCRAT. HISTOR.

Qua ratione fuerit inductus, vti cum nullo cibum capere-  
feret, nemo pro certo dicere potuit. Nam alii, qui illud  
eius factum defendere voluerint, aiunt illum propterea se-  
orsum per se cibum sumpsisse, quod valetudine erat imbe-  
cilla, & ægrè cibaria apposita admittebat. Alij propter ni-  
mis austeram viuendi disciplinam, eum hoc fecisse asserunt.  
At vtcumque se res habebat, non parum ad probandum cri-  
men illi ab accusatoribus obiectatum valere videbatur.  
Sed tamen populus propter conciones ab illo in Ecclesia  
habitas, spretis neglectisque accusatorum eius calumniis,  
permagno erga illū studio affectus fuit, hominemq; dilexit  
plurimum. Conciones verò cum ab eo ipso in lucem edi-  
tæ, tum à scribis celeri & exercitata manu, illo eas è sugge-  
stu recitante, exceptæ, qualesnam fuerint, quàm illustres,  
quamque ad persuadendum accommodatæ, non est necesse  
in præsentia differere, præsertim cum omnibus copia sit eas  
pro arbitrato euoluendi, multumq; fructus & utilitatis ab  
eisdem percipiendi.

*Quòd non modo illis qui in cleri numero censeban-  
tur, aduersabatur, sed optimates quoq; ipsos, &  
de Eutropio Eunucho. CAP. V.*

**Q**uamdiu Ioannes in clerum solū inuectus est, infidiæ  
contra illum paratæ, non multum habuere ponderis:  
sed cum magistratus extra modum reprehendere ag-  
grediebatur, tum maiore inuidiæ incendio conflagrare cœ-  
pit. Et primum contra eum multa dicebantur: deinde cum  
eadem essent indies amplificata, tandem auditoribus fidem  
fecerunt. quinetiam concio in Eutropij reprehensionem  
ab eo habita calumniam adauxit. Nam Eutropius Eunu-  
chus, qui Imperatoris cubiculo præfuit, & primus ex Eu-  
nuchis dignitatem Consularem ab Imperatore obtinuerat,  
sedulo dabat operam, vt Lex ab Imperatoribus promulga-  
retur, ne quisquam ad Ecclesias tanquam ad Azylum pro-  
fugeret, sed vt hi, qui eo profugerant, inde abriperentur.  
Qua lege confestim ille ipse pœnas dedit. Nam simul at-  
que promulgata fuit, Eutropius in offensionem apud Im-  
peratorem incurrens, confugit ad ecclesiam. Ioannes itaq;  
Epi-